

II. 397.

PRAECLARA SCHNEEBERGAE IN SCHOLAM
h. 107, 12. 2. 13. SVAM MERITA
RECENSERE PERGIT
ET



INSPECTORES SCHOLAE GRAVISSIMOS

ALIOSQVE
ERUDITIONE ET MVNERVM DIGNITATE

CONSPICVOS VIROS

AD FREQUENTANDVM

D. XII. OCTOBR. ET SEQVENTIBVS

PUBLICVM SCHOLAE EXAMEN

ET D. XVI. OCTOBR.

ACTVM ORATORIVM

CVIVS VTRIVSQVE POST FINITA SACRA MATVTINA
FIET INITIVM

MAXIMA OBSERVANTIA INVITAT

DANIEL TRAVGOTT MULLER

RECTOR SCHOL. SCHNEEB.

SCHNEEBERGAE
TYPIS CAROLI GUILIELMI FVLDAE,
A. R. S. CIOIC CCL.

87.

Varia sunt, quae scholas de meliori commendant nota, et, vt illae celebritate audientium aequa ac nominis inclarescant, efficiunt. Ipsa natura, ipse vrbis situs et aëris salubritas non raro in caussa sunt, vt iuuenes, doctrinae et bonarum artium addiscendarum cupidi, eo quasi confluant, et vt ludo literario ibi constituto magna oriatur frequentia. Quod Tiberius mala multa metuens, adeoque Roma aliquamdiu abiens, Rhodum enauigauerit, amoenitate et salubritate insulae captus, et quod haec insulae salubritas et amoenitas forte caussa fuerit, cur Rhodum fere soliti fuerint secedere Romani proceres, qui praesenti rerum statu non laetarentur; Suetonius indicat (a), et Casaubonus coniicit atque confirmat (b). Istud vero, quod Rhodo magnam magnorum virorum, illi etiam iuuenum eo confluentium frequentiam conciliauit, loci nempe salubritas atque amoenitas. Inter alia porro, quibus incrementum suum debent scholae, recensenda est etiam magistrorum in illis docentium dexteritas et diligentia. Si enim illi sunt comparati, vt Pompilius Andronicus, qui studio Epicureae sectae desidiosior in professione Grammaticae habebatur, minusque idoneus ad tuendam scholam (c): conditio scholarum omnino misera est atque dolenda. Num vero igitur doctori scholastico competit, vt suam dexteritatem, suam doctrinam, suamque diligentiam magnificis atque sesquipedalibus verbis in caelum usque extollat, suaeque gloriae praeco sit? Minime gentium! Nisi enim ille a vera sapientia abhorreat, omnino iustum esse deprehenderet, vt modestiae studeat, nec Thrasonem scholasticum agat. Quod si verum est, quod vino vendibili non opus sit hedera suspensa: quilibet ipso sole clarius atque illustrius esse confitebitur, quod doctoris scholastici non sit, suam dexteritatem, omnibusque numeris absolutam eruditionem docendi que rationem, diruptis quasi faucibus et rauca voce, praedicare et semper loqui, sed expectare, quid alii de se sentiant. Si enim ipse illiteratus non est, et nec diligentia nec fidelitate in

insti-

(a) in Vita Tiberii Cap. XI
Grammat. Cap. VIII.

(b) in Sueton. de Iul. & Cesar. Cap. XXVII
PONICKAVIANA

(c) Sueton. de Illustr.



institutione caret; alii hoc ipsum cognoscent, et adolescentes iuuenesque ei in disciplinam tradentur sat multi. Necesse ipsi non erit, vt facetis fabricis et doctis dolis glaucomam ob oculos aliis obiiciat, eosque ita faciat, vt, quod viderint, non viderint(d). Necesse non est, vt in pompam componat magisterium suum, sed vsus proximos et manifestos(e). Et vt multa paucis comprehendam, auctoritas publica, leges salutares, probata docendi ratio, boni paeceptores, prudens disciplina et alia eiusmodi(f) efficiunt, vt numero, dignitati atque famae scholarum accessiones fiant exoptatae. Ad hunc vero scholarum florem multum, quin immo plurimum confert beneficentia incolarum earum vrbi, in quibus scholae constitutae sunt atque instructae. Haec etiam beneficentia Schneebergensium scholam semper ornauit, et, quantum temporum angustia atque iniuria permittit, adhuc ornat. Et haec sane beneficentia scholam ad hunc usque diem praecipue sartam conservauit atque tectam, ita, vt iam etiam non desint, qui in ea doceantur, licet semper eius paeceptores minus decorum putauerint, pererrare omnes vrbes atque pagos, ambire domos, et artibus quibusuis discipulos nouos allicere, vel militum more cogere. His omnibus ad cogendum discipulorum sufficien tem numerum hic opus non fuit, sed liberalitas benefica Schneebergensium discipulos multos huc conuocauit, ita, vt multi non solum ex finitimis, sed etiam ex dissitis locis Schneebergam conuolarent; siquidem liberalitatis ea est natura, vt facile innotescat et multos alliciat. Ne quis vero, cum Bruto moriente, et, virtutem non in re, sed in verbo tantum esse, dicente(g), existimet, Schneebergensium virtutem, et hic, et saepius a me laudatam, beneficentiam nimirum erga scholam, non in re, sed in verbis tantum fuisse, atque extitisse: luculenta argumenta nunc sum laudaturus, hoc ipsum, quod saepius laudaui, clarissime demonstrantia. Illis itaque, quae

* 2

nuper

(d) Plant. Mil. Glor. Act. II. Sc. I. v. 69. 70. 71. (e) vti loquitur Vir rei scholasticae probe peritus, cum esset in viuis, Gothofr. Vockerodt de Litterarum Studiis, Consultat. XV. §. VIII. p. 331. (f) quas notas bonae scholae vberius vide deductas in Celebrat. Bidermanni Act. Scholast. Tom. VII. p. 457. (g) Florus Libr. IV. Cap. V. li.

nuper (h) hac de re in medium protuli, praecipue addo, quod a multis inde temporibus non defuerint in hac vrbe nostra, qui discipulos peregre huc aduolantes in domiciliis suis blande exciperent, et sine vllis quidem impensis, et qui ipsis porro benigni cibum potumque porrigerent, hac conditione, vt liberos suos, tam blande excepti, prima litterarum et religionis rudimenta docerent; id quod et ciuibus, liberis suis sic bene consulentibus, et discipulis, hac ratione necessaria alimenta acquirentibus, et hac ipsa institutione modum alios docendi addiscentibus, vtilitati cessit insigni. Et profecto vrbium, vbi scholae florent, haec est felicitas non contemnenda, quod earum incolae occasionem priuatae quoque liberorum suorum institutionis habeant. Sed hoc beneficiorum erga scholam genere non contenta fuit Schneeberga; sed vti voCKERODT laudibus summis praedicat (i), quod non defuerint ex ciuibus Gothanis boni viri, piis Myconii, scholam Gothanam consti-tuentis, consiliis fauentes, et in subsidiis, quibus ad praecela-ra instituta opus erat, procurandis administros se praebentes: sic etiam nostrae vrbis ciues multi multa ad sustentandos Mus- farum cultores egenos praebuerunt subsidia. Ex Theatro Christianae Iuuentutis Nouo, quod a IOANNE FORSTERO, tunc Rectore scholae nostrarae, postea vero ad insignia munera in coetu puriore nostro admoto (k), fuit conscriptum atque ed- tum (l), eiusque Tragoedia prima, Vrfsis Vtoribus Elisaei, probari posset, si probatione res per se satis clara indigeret, quod ciues Schneebergenses suae scholae iam tum bene volu- erint, multisque beneficiis eam ornauerint. Ita enim in Epi- logo laudatae Tragoediae elegans tersusque ille Poeta canit (m);

Florescat affatim ludus litterarius;

Florescat urbs, senatusque urbis inclitus

Et ciues, qui fouent, iuuant, alunt scholam, etc.

Sed

(h) Programm, de Praeclaris Schneebergae in Scholam suam Meritis, publice. d. XXIII.
April, hui, ann. (i) Consult. XIIX, §. VI, p. 369. (k) de Celeberrimo hoc
Viro vid. Chronic. Schneeberg. Melzeri p. 347. et Lexic. Erudit. Lips. edit. III.
P. I. p. 1126. (l) huius Theatri in tres libellos distributi possideo e liberalitate
amicorum suissimum Libellum I. qui prodiit Lips. a. 1604. (m) p. 88.

Sed potissimum laudandum est institutum illud, cum seculo
superiori consilium iniretur, duodecim egenis discipulis men-
tas exstruendi, et cibum potumque necessarium per totius an-
ni cursum praebendi. Huius rei utilissimae auctor recensetur
in Chronicis Schneebergensibus (n) primus in Lyceo nostro
Collega Quartus, SALOMO KRAVSIUS, qui multum gratia in yr-
be nostra valuit, quippe quo rogante, instante, vrgente atque
annitente res eo perducta est, vt per totum fere annum, pau-
cis modo diebus exceptis, ciues et incolae benigni cibo et po-
tu discipulos duodecim egenos, quos Alumnos appellare con-
sueuerunt, recrearent, ita, vt nonnulli duodecim, octo, sex,
quatuor, tribus, duabus aut vna vicibus, pro cuiuscunq; lu-
bitu istis alumnis cibum benigno modo porrigerent, cuius rei
initium factum esse ipsis Calend. Nouembris a. 1680 Chronica
Schneebergensia referunt (o). Multo clarius vero hoc me
docuit, et ipsa Virorum beneficorum nomina exhibuit scrip-
tum quoddam in publicis scriniis afferuatum, quod inscribi-
tur: Catalogus Laudatissimorum Ciuium Schneebergae, qui
ex benefica liberalitate pauperibus Scholae ibidem cibum por-
rigere consueuerunt; ex isto enim perspexi, quinam singulis
diebus hoc negotium benignum in se suscepserint. Sed dolen-
dum est quam maxime, quod hoc Alumneum, quo vocabulo
mihi, quaeso, vti liceat, ad nostra tempora non manserit, sed
tantummodo ad vnicum fere annum durauerit. In caussas
itaque, cur illud aliquam diuturnitatem non attigerit, hic bre-
uibus inquirere, a re alienum esse non credo. Melzerus cauf-
sam in tempora tristiora et ad vitam tolerandam difficiliora,
mox subsecuta, transfert (p). Verum enim vero, quoniam
ipse Melzerus indicat (q), redditus ex metalli fodiinis proueni-
entes, aliquibus annis ante valde imminutos, tunc temporis
aliquo modo fuisse auctos; et quia porro ipse refert (r), quod
a. 1682 et 1683 annonae leuitas fuerit: ego quidem vix credide-
rim, caussam a Melzero in medium productam fuisse veram
atque sufficientem. Alias itaque caussas, huic instituto optimo
obstantes atque officientes, subesse suspicor. Et profecto ab

* 3

excan-

(n) p. 645.

(o) loc. cit.

(p) p. 646.

(q) p. 779. seqq.

(r) p. 1401.



excandescens atque ira vix ac ne vix quidem abstinere potui, cum Indici Beneficorum Ciuium Schneebergensium mox commemorato subiecta quoque conspicerem ingratorum ciuium, discipulorum, absque gratiarum actione scholam deserentium, nomina. Tredecim sunt, qui nominibus suis tam foedam inuisserunt maculam, digni, in quorum frontem, ut Philippus militi ingrato talia stigmata inscribi iussit (s), haec verba fuissent inusta: *Ingratus hospes*; digni quoque, quorum nomina hic de-nuo, insignis ignominiae ergo, apponem, nisi caussae aliae aliud mihi suaderent. Nonne vero hanc nonnullorum ingratis mentem ciues beneficos tam male habuisse credideris, ut beneficiorum eos poeniteret? Praeterea KRAVSIVS ille, qui, ut supra memini, totius rei fuerat auctor, eodem tempore ex hac vrbe et schola discessit, et in nouum oppidum, a Serenissimo IOANNE GEORGIO denominatum, se contulit, ibique cum magna laude munere Diaconi diu functus est (t). Hinc quoque impedimentum fuisse obortum, et forsitan inuidiam, cuiusvis rei utilis comitem, simul insurrexisse, autumo. Sed res tunc non penitus sublata, sed modo dilata mihi fere videtur, si recordor, quod, si quis ad munus Rectoris obeundum hic vocatur, inter alias officii partes ei demandetur, ut Alumnorum, si quibus rursum in posterum habitaculum in schola forte esset assignandum, inspectionem atque curam in se suscipere velit. Verum enim vero, et si ex votō haec res optima non successit, exinde tamen potissimum istud beneficentiae genus originem traxit suam, vel certe inualuit, ut non pauci Viri huius vrbis Spectati aut ciues honesti vni alteriue e discipulorum numero per unum pluresue dies hebbomadis cibum potumque porrexerint, atque in mensis suis locum concederint. Sunt etiam, quae diuina est gratia, iam quoque tam inter Viros dignitate Conspicuos, quam inter honestos ciues et metallicos, in vrbe nostra, quin etiam in oppido nobis vicino, Neostadio, cuius multis beneficiis schola nostra semper et adhuc quoque est deuincta, qui talia beneficia apud scholae nostrae ciues locant. Quod optima hi Fautores et Amici, singulare studio Colendi, facta

(s) Senec, de Benef. Libr. IIII. Cap. 37. . (t) vid. Chronic. Schneeberg. p. 363.

facta hoc ipso peragant, nemo temere addubitat, et multo minus negabit, praeter eos, qui voluntatis diuinae sunt nescii, aut nimis ad rem attenti, aut denique omnis misericordiae expertes. Grauissimis Arnoldi Mengeringii verbis(v), quae maxima ex parte e Megalandri nostri, Lutheri, verbis sunt defumta, demonstrare possem, quod optime agat, qui egenorum discipulorum aut studiosorum inopiae succurrit; nisi sci-rem, in vrbe nostra carissima non paucos nostris discipulis vel re ipsa exhibere beneficia, vel, quo minus ea exhibeant, re domi angusta impediri. Vnicum praeterire nequeo, quod Mengeringius, vel potius Lutherus pronunciat; loco vnius nempe floreni ad compescendos Turcarum, quamvis imminentium, impetus impendendi, centum dandos esse, si vnicus modo puer eorum auxilio eo posset perduci, vt verus vtilisque Christianus euadat. Et quis est, qui hoc Deo perplacere dubitet? Si Seruator noster Optimus Maximus aliquando confessurus est, quod benefacta pauperibus exhibita, inter quae cibum et potum liberaliter praestitum primo statim loco refert, tanquam fibi praestita consideret, et clementissime remuneretur(x): isti certe inique, aut, vt aliqui blaterant, prodige egisse putandi non sunt, qui suis beneficiis pauperum discipulorum inopiam leuant; siquidem hoc ipso blandissimo Seruatori placent, et reipublicae commodis prospiciunt. Sed contrahenda esse orationis vela sentiens, omnibus, qui et hac ratione optime de schola nostra merent, nomine totius coetus scholastici gratias ago, quas possum, maximas, et, vt Deus haec beneficia compenset largissime, etiam atque etiam opto. Meos vero discipulos excito, cohortor, impello, et per omnia sacra obtestor, vt beneficiis his optime vtantur, et se semper gratos exhibeant, ne ingratorum cuculorum instar, suas matres deuorantium(y), scholae per suam mentem ingratam damnum inferant maximum, alias a beneficiis deterrentes. Reliqua occasione alii, quae forsitan breui tempore dabitur, reseruans, nunc ea, quae me, vt haec scriberem, mouerunt, lubens adgre-

(v) in Belfazeris Sacrilegio, impress. Altenburg. a. 1641. p. 91. seqq.
XXV, 35. seqq.

(x) Matth.

(y) Plinii Hist. Natur. L. X. Cap. IX.

adgredior. Crastina enim luce, post sacra matutina, et sequentibus examen scholae nostrae consuetum erit peragendum; et die Veneris, nimirum d. xvi. Octobr. itidem sacris matutinis finitis, quidam bonae spei et praeclera quaevis minantes Iuuenes e nostris publice surgent, et vires suas in dicendo periclitabuntur. Chorum ducet

- I. **Ioannes Benjamin Schmidt**, *Hundeshäbl. Misn.* qui laudes Schneebergae carmine germanico canet, et BVRCKHARDI Benefici memoriam recolet. Prohibit porro in scenam
- II. **Adamus Gottlob Vnger**, *Schoenheid. Misn.* magistratum cum clypeis oratione latina comparans. Hunc sequetur
- III. **Ioannes Georgius Strunz**, *Neostad. ad Schneeberg.* verbis latinis magistratum Diis, et denique
- IV. **Christianus Augustus Luduuig**, *Rothenkirch. Varisc.* magistratum clavis oratione graeca collaturus, et *Auditoribus pie Colendis* gratias acturus.

De Tiberio, Rhodi se tenente, Suetonius adnotat^(z), quod circa scholas et auditoria professorum assiduus fuerit: Vos igitur, INSPECTORES SCHOLAE GRAVISSIMI, et VIRI Musas nostras more veterum Schneebergenium amore complectentes, etiam atque etiam rogatos volo, ut Tiberium imitari, et circa scholam nostram his diebus assidui et frequentes esse velitis, certi, quod Vos nemo, quod Tiberio contigit, conuitiis ibi laceffat; sed quod omnes Vestrum fauorem grata mente sint agnitiuri, et summis laudibus praedicaturi.

P. P. Schneebergae, die dominico XX. post festum
S. Triadi diem, d. xi. Octobr.


a. r. f. c. c. i. c. l.

(z) in Vit. Tiber. Cap. XI.



Farbkarte #13

B.I.G.



SCHNEEBERGAE IN SCHOLAM

VAM MERITA

CENSERE PERGIT

ET

ORES SCHOLAE

AVISSIMOS

ALIOSQVE

ET MVNERVM DIGNITATE

PICVOS VIROS

FREQUENTANDVM

TOBR. ET SEQVENTIBVS

SCHOLAE EXAMEN

D. XVI. OCTOBR.

ORATORIVM

POST FINITA SACRA MATVTINA

ET INITIVM

OBSERVANTIA INVITAT

RAVGOTT MULLER

OR SCHOL. SCHNEEB.

SCHNEEBERGAE

OLI GUILIELMI FVLDAE,

. S. CICIC CCL.

II. 397. 1

